ficiat fides tua. Et tu aliqñ
cōuerſus confirma fratres
tuos Caro ꝛ ſanguis nō
reuelauit tibi: ſed pater me
us qui eſt in celis.

Iſte locus eſt ceſaree
philippi ubi iordāis
ad radices oritur libani: et
habet duos fontes: unum
nomine ior: ꝛ alterum dan
qui ſimul iuncti iordan⁹ no
men effitiunt. Et interroga
bat diſcipulos ſuos dicens
Queʒ dicunt hoies eſſe fili
uʒ hois. Nō dixit queʒ me
ēe dicūt hoies: ſʒ filiū hois:
ne lateret de ſe querere ui
deretur ¶ Quē dicunt ho-
mines eſſe filium homis.
dixit ieſus diſcipulis ſuis.
reſpondēs petrus dixit. tu
es xp̄s filius dei uiui. ꝛ ego
dico tibi. qꝛ tu es petrus ꝛ
ſuper hanc petram edifica-
bo eccleſiam meā. ¶ Btūs
es ſimon bariona: quia ca-
ro ꝛ ſanguis non reuelabit
tibi: ſed pater meus qui eſt
in celis. Et.

ET nota q̄ ubicūqꝫ
ſcriptum eſt in ueteri
teſtamento filius hois i he
breo ſcriptū ē filius adam.
Illudqꝫ qd in pſalmo legi-
m⁹ filij hoiuꝫ uſqꝫ graui cor
de. in hebreo dr̄ filij adam
Pulchre auteʒ interrogat.
Quē dicūt hoies eſſe filiuʒ
hois: qꝛ qui de filio homis
loquīt hoies ſūt. Qui uero
diuinitatem illi⁹ intelligūt:
non hoies: ſʒ dij appellāt.
¶ Petre amas me tu ſcis:
domīe qꝛ amo te: paſce o-
ues meas ¶ Simon iohis
diligis me plus his. tu ſcis
domīe quia amo te. Paſce.
¶ Petrus
ꝛ iohannes aſcēdebāt in tē
plum ad horā orōis nonaʒ
¶ Dn̄s reg ¶ Ar
gentum ꝛ aurū nō eſt mihi:
qd aūt hēo hoc tibi do.

Dixit angelus ad petrum: Circunda tibi uestimentum tuum et sequere me. ¶ Misit dñs angelum suum et liberauit me de manu herodis al. ¶ Tu es petrus et super hanc petram edificabo ecclesiam meam.
Misit herodes rex.
IAm bone pastor petre clemēs accipe uota precantium et peccati uincula resolue tibi potestate tradita qua cunctis celum uerbo claudis apperis.
Doctor ecclesie paule mores instrue et mente polum nos transferre satage donec perfectum largiatur plenius euacuato qđ ex parte gerimus. Sit trinitati sempitna gloria: honor: potestas atqz iubilatio: in unitate cui manet imperiuz ex tunc et modo per eterna secula amē.
Annuntiauerunt. ¶ Et facta. ¶ Quodcunqz ligaueris super terram: erit ligatuz et in celis. Et quod cunqz solueris super terraz erit solutum et in celis. dicit dominus simoni petro.
Deus qui hodiernam diez ¶ Misit herodes rex.
PEtrus quidem seruabatur in carcere. oratio autem fiebat sine intermissione ab ecclesia ad deum pro eo.
ET petrus ad se reuersus dixit nunc scio uere quia misit dominus angelū suuz et liberauit me de manu herodis: et de omni expectatione plebis iudeoz.
¶ Ego plantaui. ¶ Dixit dñs. ¶ Laud. d. o. g.
BOnū certamē certaui cursuz cōsumaui fidem seruaui: de reliquo reposita ē m corona iustitie: quā

reddet mihi dñs in illa die iustus iudex. ¶ hymnus.

D Octor egregie paule mores instrue: & mē te polum nos transferre sa tage: donec perfectum lar giatur plenꝰ euacuato: qḋ ex parte gerimus. Sit tri nitati. ut sup̄ a. Tu es uas electionis sancte paule apl̄e ℟ Predicator ueritatis in uniuerso mundo. Ad. M. a Sancte paule apl̄e predica tor ueritatis. & doctor gen tiū intercede pro nobis ad deū qui te elegit. ℣ Ut di gni effitiamur gratia dei. Añt. supradicta sine ỽsicu. suo dicit in cōuersione sctī pauli cum aliqḋ festum de beato petro celebrat: oro.

D Eus qui multitudiẽ gentium beati pauli apl̄i predicatione docuisti: da nbois quesumus: ut cuiꝰ natalitia colimꝰ eius apud te patrocinia sentiamꝰ. Per. Additur ꝓ scō petro. anti.

Tu es pastor ouium. uer. Tu es petrus. ℟ Et super hanc petraꝫ edificabo eccle siam meam. ¶ oratio.

D Eus qui btm̄ petrū apl̄ꝫ a uinculis abso lutuꝫ illesuꝫ abire fecisti no stroꝝ qs absolue uincla pe catoꝝ: & oia mala a nobis propiciatus exclude. Per. Qui ỽo nō habuerit eccl̄aꝫ sancti pauli dicunt anti. Iurauit dñs. ¶ Luꝫ rel̄. ps̄ ō apl̄is cap. Misit herodes hy Aurea lu. ℣ Sit trinita ℣ Anūntiauerit opera dei. ℟ Et facta eiꝰ. ad. M. a. Hodie simon petrus ascē dit crucis patibulū al̄: Ho die clauicularius regni gau dens migrauit ad christum Hodie paulus apl̄s lumeꝫ orbis terre inclinato capite pro xp̄i noīe martirio coro natus est al̄. oro. Deus q̄ hodier. ¶ Notād q̄ isto die nō fit cōmemoratio de scō paulo: qꝛ oro communis ē.

nisi fratres haberent eccl'az sancti pauli: sicut dictuz ē his duobus dieb⁹ nulla fit cōmemoratio de scō iohē: qz fit offm̄ duplex i cōmēo- ratōe sci pauli. Ad ma. inuit Regez aplōꝝ. hy Doctor egregie. ꝟ Sit trinita. In primo noctu. a. Qui opat⁹ est petro in apl'atu operat⁹ est ꝛ mihi inter gentes ꝛ co gnouerit gr̄az dei data ē m̄ a xp̄o dn̄o. ps̄ dicuntur de coī aplōꝝ ꝟ. Qui me segre gauit ex utero matris mee ꝛ uocauit p gr̄az suaz. In fi ne ps̄ dicuntur ß antī. Ex cepto qꝫ p ho⁹ diei non dn̄r tales uer. antī. Scio cui cre didi ꝛ certus sum qꝛ potes est depositū meū ſuare in illuz diē iust⁹ iudex. ꝟ De reliquo reposita ē m̄ corona iustitie. a. Mihi uiuere chri stus ē. ꝛ mori lucrū: gl'iari me oportet i cruce dn̄i nr̄i iesu xp̄i ꝟ Per quē m̄ mūd⁹ crucifix⁹ ē. ꝛ ego mūdo. ꝟ

ꝛ hr̄. R. dn̄r de coī aplōꝝ. De actibus aplōꝝ. Lcō. i.

Erant aūt in ecclesia q̄ erat in anthiochis prophete ꝛ doctores: i q̇bꝫ erat bernabas ꝛ symeon q̇ uocatur niger: ꝛ lucius cy- renensis: ꝛ manaez qui erat herodis terrarche collecta- neus ꝛ saulus ministrātib⁹ autē illis dn̄o ꝛ ieiunantib⁹ dixit sp̄s scts̄. Separate m̄ barnabam ꝛ sauluz in op⁹ ad quod assumpsi eos: tūc ieiunantes ꝛ orantes iponē tesqꝫ eis manus diuiserunt eos. R. dicuntur sicut i con siōe eius. vꝫ. Qui opat⁹ est.

Et ipsi quidē mis. l. ij. si a sp̄u scō abierunt selentiam ꝛ inde nauigaue- runt cyprum. ꝛ cum uenis- sent salaminaz predicabāt uerbum dn̄i in synagogis iudeorum. habebant autez ꝛ in ministerio iohannem. Et cum perambulassent u niuersas insulas usque ad

pamphbum inuenerunt quē dam uiru ꝫ magnum pleu do prophetam iudeū ꝫ cui nomē erat barien: qui erat cum proconsule sergio pau lo uiro prudente. Hic arcer sitis barnaba ꝫ paulo desi- derabat audire uerbuꝫ dei:

R Esistebat autē eis elimas magnus. Sic enim interpretatum ē nomen eius: querens auer- tere proconsulem a fide. Saulus autē q ꝫ paulus re pletus spiritu sācto intuēs in eum dixit. O plene omi dolo ꝫ falatia fili diaboli. omnisqꝫ iustitie dei inimi- ce: non desinis subuertere uias domini rectas. Et nūc ecce magnus domini est su per te: ꝫ eris cecus non ui- dens solem usqꝫ ad temp⁹

¶ Tu es uas electionis sancte paule apo stole predicator ueritatis ī uniuerso mundo. ¶ Per quem omnes cognouerūt gratiam dei. ¶ Magnus sanctus paulus uas electio nis uere digne est glorificā dus: qui meruit thronum duodecimum possidere. In regeneratione cum sede rit filius hominis in sede maiestatis sue. ¶ Bonum certamen certaui: cursum ꝯ summaui: fidem seruaui. De cetero reposita est mi- hi corona iustitie.

A Postolus paul⁹ queꝫ certe inuenimus sine ullis meritis bonis: immo cum multis meritis malis dei gratiam consecutuꝫ red dentis bona pro malis: sua iam apropinquante passio ne scribens ad thimotheuꝫ ista utiqꝫ iaꝫ merita sua bo na commemorat: Ut post pauca merita consequatur coronam: qui post multa mala merita consecutus est gratiam.

Deniqz supest inquit om corona iustitie quā reddet mihi dn̄s in illa die iustus iudex: cui redderet coronā iustus iudex. Si nō donasset gratiaz misericors pater. Et quomodo esset ista corona iustitie nisi precessisset gratia que iustificat impium Et quomodo ista ei debita redderentur: nisi prius illa gratuita donarē tur. Proinde consideremus ipsa merita: quibz dixit coronam redditurum iudicez iustum. ꝛ uideamus utruz merita ipsius tanqꝫ ipsi⁹ i. ex ipso ei comparata an dona sint dei.

Donū inquit certamē certaui cursū ꝯsumaui: fidē seruaui. prio ista bōa opera: si nō ea precessissent cogitationes bone nulla essent. Attendite itaqꝫ quid de ipsis cogitationibus dicat. Ait enim scribens ad corinthios. Non qꝛ idonei simus cogitare aliquid a nobis tanqꝫ ex nobis. sed suffitientia nostra ex deo ē

¶ Saulus qui ꝛ paulus magnus pdicator a deo confortatus conuale scebat ꝛ confundebat iudeos. ¶ Ostendens: qꝛ hic ē xp̄s filius dei. ¶ Ne magnitudo reuelationuz extollat me datus est mihi stimulus carnis me angelus sathane qui me collaphizet propter quod ter dominuz rogaui ut auferretur a me ꝛ dixit mihi dn̄s. sufficit tibi paule gratia mea. Nam uirtus in infirmitate perficitur. ¶ Reposita est mihi corona iustitie quā reddet mihi dominus in illum diem iustus iudex. ¶ Cooperante in me gratia spiritus sancti.

In il. t. d. simō ptr⁹ ad iesuz. Ecce nos reliquim⁹ oia ꝛ secuti sum⁹ te. qđ ergo erit nobis. Et R.

Grandis fiducia petrus piscator erat.

Ego plantaui apolo rigauit deus aut incrementum dedit all'. Unusquisqz propria mercedez accipiet sm suu labore. ¶ Libenter gloriabor in ifirmitatib⁹ meis ut inhabitet in me uirtus christi. ¶ Qn ei infirmor tunc fortior sum. ¶ Gra dei in me uacua no fuit. sz gratia eius semper in me manet. Gratia dei suz id quod sum. ¶ Damasci prepositus getis arethe regis uoluit me comprehendere a fratribus per muru submissus sum in sporta: z sic euasi manus eius in nomine dni. ¶ Deus. z pat domini nostri iesu xpi scit: quia non mentior. ¶ Ter uirgis cessus sum semel lapidatus suz: ter naufragiu pertuli pro christi nomine ¶ Nocte ac die in profundum maris fui. ¶ Bonuz certamen. ¶ Exultet ce. Tu es uas electionis sancte paule apostole. ¶ Predicator ueritatis i uniuerso mudo. ¶ Uos qui secuti estis me sedebitis sup sedes iudicantes duodecim tribus israel dicit dns. Cum sederit filius hois i sede maiestatis sue. ¶ De' q multi. ¶ Tu es pastor ouium princeps apostoloz tibi tradite sunt claues regni celoz. ¶ Tu es petrus. ¶ Et super hac petra edificabo eccl'az mea.

Deus q bto petro aplo tuo collatis clauib⁹ regni celestis aias ligandi: atqz soluendi pontificium tradidisti: concede ut intercessionis eius auxilio a peccatoz nroz nexib; liberemur. Qui ui.

Bonū certam̄. Ad .vi. ca.

De magnitudo reuelationū extollat me datus ē m̄ stimulus carnis mee angl's sathane qui me collafizet ppt̄ qd̄ ter dn̄m rogaui ut auferretur a me ꝛ dixit m̄: sufficit tibi gr̄a mea. Ad .ix. capi.

Ego ei suz minimus oiuz apl'oꝝ: qui non sum dignus uocari apl'us: qm̄ psecutus suz eccl'az dei gr̄a aūt dei suz id quod su ꝛ gratia dei in me uacua n̄ fuit. Notandum q̄ p totā octauam dr̄ ad. M. anti. Glosi pric. ꝟ Constitues ꝛ ad bn̄. an. Petrus apl's. cuz ꝟ. In oē terrā. dr̄ ad bn̄ cū oīe. De' q̄ hodiernā. Ad. M. a. Glosi pricipes terre quō in uita sua dilexerūt se: ita ꝛ i morte nō sūt separati. Ad bn̄ a. Petrus apl'us ꝛ paulus doctor gentium ipsi nos docuerunt legem tuam domine. Ad ues. an. Jurauit dominus. Luz rel' ps̄. de apl'is. p scō iohē Audite in. hy. Ut q̄at ꝟ. Fuit homo missus a deo ℟. Cui nomē erat iohānes Ad. M. anti. Jngresso zacharia. Et duplicatur rōe festi sancti pauli oratio. De' q̄ psen. Deide fit cōmemoratio d apl'is Glosi. ꝟ Cōstitues eos. oīo. De' qui hodiernaz. In octaua scī iohīs fit idē offitiuz qd̄ in die cū commemoratione de apl'is. In festo uisitatōis bte marie ṽgis offz fit sic i natiuitate. Excepto q̄ ubi dr̄ natiuitas dr̄ uisitatio. ca

Ego mater pulchre dilectionis timoris ꝛ magnitudinis ꝛ sancte spei In me omnis gratia uite ꝛ ueritatis. hym. Aue maris stella. ꝟ. Uisitatio est hodie sancte marie uirginis. ℟. Cuius uita inclita cūctas illustrat ecclesias. Ad M. an. Gloriose uirginis

marie uisitationem dignissimam recolamus que ⁊ genitricis dignitatem obtinuit: ⁊ uirginalē pudicitiā nō amisit.

Omnipōs eterne deus qui ex habundantia caritatis beatam mariam tuo filio fecundatam ad salutationem elisabeth inspirasti. presta q̄s ut per eius uisitationē donis celestib⁹ repleamur. ⁊ ab oibꝫ adusitatib⁹ eruamur. Per eūd.

Beata dei genitrix uirgo semp maria tēplū domini sacrarium spiritus sancti cum ab angelo salutata fuisset: seqꝫ prole grauidam cognosceret: cōfestī in mōtana perrexit portās a quo portabatur. ⁊ apte post uisionem angeli beata dei genitrix in mōtana subijt q̄ gustata suauitate supnoꝝ cum hūilitatis se gressib⁹ ad alta ūtutū trāstulit.

Intrat ergo domuꝫ zacharie: atqꝫ elisabeth: quam seruum ac precursorem domini parituram nouerat. salutat non dubia de oraculo quod acceperat: sed et gratulatura de dono quod conseruam accepisse didicerat. Non ut uerbum angeli mulieris attestatiōe probaret. sed ut mulieri puecte etatis uirgo iuuencula ministeriuꝫ sedula impēderet.

Et autem audiuit salutationem marie elisabeth exultauit infans in utero eius. ⁊ repleta ē mox spiritu sancto elisabeth. Aperiente os ad salutanduꝫ beata maria repleta ē mox spiritu sancto elisabeth. repletus est ⁊ iohannes atqꝫ uno eodeꝫqꝫ spiritu ambo edocti illa salutante: que esset agnouit ⁊ ut matrem

domini sui debita cum be-
nedictiōe uenerata est: illa
ipsum esse dominum qui u
tero uirginis portaretur in
tellexit.

ET quia nec dum lin
gua ualuit animo ex
ultante salutauit offitiuꝫqꝫ
sue precursionis qꝫ libēter
qꝫ deuote iuuenis esset im
pleturus. ⁊ anteqꝫ nasceret
aduenienti domino quib⁹
ualuit inditijs demonstra-
uit.. Aderat namqꝫ tem-
pus quo impleretur angeli
sermo queꝫ dixerat. Quia
spiritu sancto replebit ad-
huc ex utero m̄ris sue.

R: Epleta est ergo spi-
ritu sancto elisabeth
⁊ exclamauit: quia magna
dei dona cognouit. Et re-
cte uoce magna: quia illuꝫ
quem ubiqꝫ presenteꝫ no
uerat: etiam corporaliter
adesse sentiebat. Magna ⁊
eiꝫ uoce non tā clamosa qꝫ
deuota intelligēdū ē.

NEcqꝫ eniꝫ modice uo-
cis deuotione domi-
num laudare uolebat: que
spiritu sancto plena flagra
bat: que ⁊ illuꝫ in utero ge
stabat quo in natis mulie-
rum maior nemo essꝫ. Eū
⁊ eniꝫ aduenisse gaudebat
qui conceptus ex carne v̄-
ginis matris filius altissi-
mi uocaret ⁊ essꝫ.

IN illo tempore. ex-
urgens maria abijt
in montana cum festinatio
ne in ciuitateꝫ iuda ⁊ intra
uit in domum zacharie ⁊
salutauit elisabeth. Et. R̸.

MOrale est om
nibus ut qui fidem
exigunt fideꝫ astruant. Et
ideo angelus cū abscōdita
nuntiaret ut fides astruere
tur exemplo senioris femi
ne sterilisqꝫ conceptuꝫ uir
gini marie nūciauit ut pos
sibile deo omne qd̄ ei pla-
cuerit assereret. Ubi audi-
uit hoc maria n̄ q̄ icredula

de oraculo nec quasi incer
ta de nuntio: nec quasi du
bitans de exemplo: nec q̄si
leta pro uoto: religiosa ꝓ
offitio: festina pregaudio.
in montana prexit.

Quomodo enim iam
deo plena nisi ad su
periora cum festinatione ꝯ
scenderet. Nescit tarda mo
limina spiritus sancti gr̄a.
Discite uos sancte mulie-
res sedulitatem quam pre-
gnātibus debeatis exhibeṙ
cognatis. Mariam que an̄
sola in intimis penetralibꝰ
uersabatur non a publico
uirginitatis pudor: non a
studio asperitas montium
non ab offitio prolixitas i
tineris retardauit.

In montana uirgo
cum festinatione uir
go offitij memor iniurie i-
memor affectu urgēte non
sexu relicta prexit domo.
Discite ūgies nō circūcur
sare per alienas edes. non
demorari in plateis nō ali
quos in publico miscere ſ
mones. Maria in domo se
ra festinat in publico man
sit apud cognatam suaꝫ et
tribus mensibus. Et enim
que ꝑ offm̄ uenerat inhe-
rebat offō.

Visitatio gloriose uir
gis marie.
O gloriosa. Uisitatio ē
hodie. Uisitatōeꝫ
hodiernam. Oṗs sem
piterne deus.
Ego mater.

Surge propera ami-
ca mea: colūba mea
formosa mea ⁊ ueni: iā eiꝫ
hyems transijt: imber abi
it ⁊ recessit: flores apparue
runt in terra nostra tempꝰ
putationis aduenit.

Surge propera ami-
ca mea: colūba mea
speciosa mea ⁊ ueni in fora
minibus petre: in cauerna
macerie: ostende mihi fatie

tuam sonet uox tua in auribus meis uox enim tua dulcis: et facies tua decora.

¶ Uisitatio gloriose. Ego mater.

Aue maris stella. ¶ Uisitatio est hodie. Uisitatio tua. ¶ Omnipotens sempiterne deus.

Exclamauit autem: et dixit. Benedicta tu inter mulieres: et benedictus fructus uentris tui. Benedicta tu inter mulieres: non solum benedicta inter mulieres: sed etiam inter mulieres benedictas maiori benedictione specialiter insignis. Benedictus fructus uentris tui. Nec ipse generali sanctorum more benedictus: sed sicut apostolus ait quorum patres ex quibus xps secundum carnem qui est super omnia deus benedictus in secula.

De huius ortu fructus psalmista mistico sermone testatur dicens. Etenim dominus dabit benignitatem: et terra nostra dabit fructum suum. Dedit quippe dominus benignitatem: quia genus humanum a reatu preuaricationis per unigenitum suum liberare disposuit. Dedit benignitatem quia eius ingressu uirginalis uteri templum sancti spiritus gratia consecrauit.

Et terra nostra dedit fructum suum: quia eadem virgo que de terra corpus habuerat filium genuit diuinitate quidem deo patri coequalem: sed sibi carnis ueritate consubstantialem. de hoc ysaias tempus humane redemptionis intuens ait. In illa die erit germen domini in magnificentia et gloria et fructus terre sublimis.

Germen namque domini fuit in magnificentia et gloria quando supernus dei filius in carne temporalis apparens magnitudine uirtutum celestium mundo clarus effulsit. Fructus

quoqꝫ terre sublimis effe-
ctus est. quando carnē quā
de nostra natura mortalez
sumpserat immortalem iā
redditā ad celos subleuauit
¶ Ecce ergo dicit.
Benedicta tu int̄ mu
lieres: ⁊ benedictus fruct⁹
uentris tui. Benedicta est
eniz incomparabiliter: que
⁊ diuini germinis suscepit
gloriam ⁊ coronaz integri
tatis fuauit. Benedicta tu
inter mulieres per cuius ꝑ
tum uirgineuz a natis mu
lierū maledictio prime ma
tris exclusa est.

Benedictus fructus
illi⁹: per quem ⁊ sem
incorruptionis: ⁊ superne
hereditatis quam perdidi-
mus in adam fructum re-
cepimus. Et uere ac singu
lariter benedictus qui non
nr̄o more postq̄ꝫ natus est
gratiam a domino benedi
ctionis accepit: sed ipse ad
saluandum mundum bene
dict⁹ uenit in noīe dn̄i.

Et unde hoc mihi ut
ueniat mater domini
mei ad me. O q̄ꝫta in pro-
phetisse mente humilitas:
⁊ q̄ꝫ uerus sermo dn̄i quez
dixit super quez requiescit
spiritus meus nihil super
humilem ⁊ quietum ⁊ tre-
mentez uerba mea. Mꝫez
quidem domini: que ad se
uenerat mox ut uidit esse
cognouit. Sꝫ nihil in se ta
lis meriti reperiens quo di
gna foret a tanta hospite
uisitari. Unde hoc inquit
mihi ut ueniat mater dn̄i
mei ad me.

Qui nimirꝫ ipse spūs q̄
ei prophie donuz cō
tulit munus pit̄ hūilitatis ꝑ
stitit. Prophetico repleta
spū elisabeth geītricē ad se
aduētasse saluatoris intelli
git. sꝫ hūilitatis spū circun
specta minus dignaz se ei⁹
aduētu dep̄hēdit. ecce ei ut
fēta ē uox salutatōis tue in

auribus meis exultauit in gaudio ifans in utero meo.
Intellexit elisabeth eodem quo impleta erat spiritu reuellante. quid illa exultatio sui significasset infantis. hoc est illius aduenisse matrem. cuius ipse precursor ac demonstrator esset futurus. Et quam admiranda: quam cita sancti spiritus operatio. Nulla quippe in discendo mora est ubi spiritus doctor adest in uno eodemque momento cum uoce salutantis gaudium nascitur infantis.

Cum enim uox ad aures puenit corporales: uirtus spiritalis cor intrauit audientis. nec solum genitricem. sed et sobolem amore domini aduenientis accendit. Unde mox eadem precursoris domini genitrix ea que in occulto cognouerat his qui illic aderant et audiebant palam euuangelizare curauit. Nam subditur et beata que credidit quoniam perficientur ea que dicta sunt ei a domino.

Nam et hoc quoque dicit elisabeth per spiritum que angelus ad mariam uerba protulerat: quia illa mox euuangelizanti crediderit: quia hec diuina operante potentia absque ulla essent dubietate compleda. Mirumque in modum idem spiritus eam cum repleuit presentium simul preteritorum ac futurorum scientia instruxit.

De presentibus namque se doctam monstrauit: cum beatam mariam matrem domini sui uocans quia redemptorem humani generis in utero gestaret indicauit. Unde etiam fructum eius singulariter benedictum esse professa est. Preteritorum se notitiam accepisse insinuauit quod et uerba angeli ad mariam et consensum marie credentis sibi inspirasse perdidit. sed et futurorum scientiam sibi non negatam

intimauit eum perficien la a domio que ei data essent aparuit. Scdm lucam.

In illo tpre Exurgēs maria abijt i mōtana cū festinatione in ciuitatez iuda 7 intrauit in domum zacharie. Et salutauit elisa beth. Et. r. De omelia sancti ambrosij.

Rausit tribus mensibus: nō q eaz dom9 delectaret aliena. sz qr uió ri frequētius in publico dupli cebat. Didicistis uirgines pudorē marie. Discite et hūilitatē. Ueit ppinq ad p xiaz. Iunior ad seniore nec solū ueit: sz etiā prior salu tauit. dcz ei ut qāto castior ēgo tāto hūilior fit. l. viij

Nouerit defferre senioribus fit magistra hūilitatis i q̄ ē pfessio casti tatis ē 7 causa pietatis: e ēt 7 norma doctrine. Contu enduz ēst eiz quia superior adiauetur. Maria ad elisabeth. christus ad iohānez. Denqz et ppbā ut scificaret baptim iohis: dominus uenit ad baptismū. lco: ix.

Cito quoqz aduentus marie 7 pñtie dñice bñficia declarantur. Simul eiz ut audiuit salutationez marie elisabeth exultauit i fans in utero ei9. 7 repleta est spū scō elisabeth: 7 excla mauit uoce mag9 7 dixit ad mariā. Bñdicta tu int muli eres. 7. b. f. ue. t. Uide distictoez sigl'orqz ūboz pprie tates. Uocē prior elisabeth audiuit: sz prior iohēs gra tiā sensit Die. iiij. i' octa uā uisitatiōis fit de octaua aplo:z. ī cipit a pris ues a. Hoc est preceptum meuz. Cum. ke'o. 7 cōmemoratio de uisitatione. In octaua a postolorum omnia dicunt de cōi aplo:z. pter lectiōes 7 orōez ... q̄ di. Gloriosi principes. Ad laud. Petrus apl's.

Deus cuius dextera beatum petrum ambulantem in fluctibus ne mergeretur erexit et coapostolum eius paulum tertio naufragantem de profundo pelagi liberauit exaudi nos propitius: et concede ut amborum meritis eternitatis gloriam consequamur. Qui uiuis. ¶ Regem apostolorum.

Euangelium quod recentissime recitatum est de domino iesu christo qui super aquas ambulauit: et de apostolo petro: qui ambulans timendo titubauit et diffidendo mersus: confitendo rursus emersit. admonet nos intelligere mare presens seculum esse. Petrum uero apostolum ecclesie unice typum.

Ipse enim petrus in apostolorum ordine primus in christi amore promptissimus: sepe unus respondit pro omnibus. Ipso denique dño nostro iesu requirenti quem nam eum dicerent homines esse et opiniones uarias hominum discipulis respondentibus. rursusque dño interrogante et dicente. Uos autem quem me esse dicitis: Respondit petrus. Tu es christus filius dei uiui.

Unus pro multis dedit responsum unitas in multis. Tunc ei dñs ait. Beatus es simon bariona quia caro et sanguis non reuelauit tibi: sed pater meus qui est in celis. Denique addidit. et ego dico tibi: tanquam diceret: quia tu dixisti mihi; tu es christus filius dei uiui. et ego dico tibi: tu es petrus. Simon quippe antea uocabatur. Hoc autem ei nomen ut petrus appellaretur a domino impositum est: et hoc in ea figura ut significaret ecclesiam.

Quia enim xp̄s petra petrus populus christianus. Petra enim principale nomen est. Ideo petrus a petra, non petra a petro quomodo non a christiano christus, sed a christo christian⁹ uocatur. Tu es ergo inquit petrus: ⁊ super hanc petram quam cōfessus es: super hanc petrā quā cognouisti dicens tu es xp̄s filius dei uiui. sup me iesum filium dei uiui edificabo ecclesiam meam. Super me edificabo te nō me sup te: Nam uolentes homines edificari super homines dicebant. Ego quidem sum pauli ego autem apolo. ego uero cephe. ipe est petrus.

Et alij qui nolebant edificari super petrū sed super petram ⁊ ego āt sum xp̄i. Apostolos autem paulus ubi cognouit se eligi: ⁊ christū cōtemni: diuisus est inquit xp̄s. Numquid p uobis paulus crucifixus est aut in nomine pauli baptizati estis. Quomodo non in pauli: sic nec in petri sed in noīe xp̄i ut petrus edificaretur super petram: non petra super petrum. Idem ergo petrus a petra cognominatus btūs: ecclesie figurā portās appellat⁹ principatū tenens.

Continuo post paululum iam audito q̄ beatus esset. iam audito q̄ petrus esset. iam audito q̄ super petram edificat⁹ esset postea quā audiuit futurā dn̄i passiōem q̄ p̄dixerat eā iā cito futurā discipl'is suis displicuit ei timens ne perderet morientē quē cōfessus fuerat uite fontē.

In illo tempore: Iussit ieſ⁹ discipl'os suos ascēdere in nauiculā ⁊ precedere eum transfretum donec dimitteret turbas. Et reliq.

Compulit discipulos suos dominus ascendere naviculam: et precedere eum transfretum donec dimitteret turbas. Discipulos iubet transfretare. et compellit ut ascendant naviculam. Quo sermone ostenditur eos invictos a domino recessisse dum amore preceptoris nec puncto quidem temporis ab eo nolunt separari.

Et dimissa turba ascendit in montem solus orare. Si fuissent discipuli cum eo petrus: et iacobus: et iohannes: qui viderant gloriam transformati: forsitan ascendissent in montem cum eo. Sed turba ad sublimiora sequi non potest. nisi docuerit eam iuxta in littore: et aluerit in deserto.

Quod autem ascendit solus orare nō ad eū referas: q̄ de q̄nq3 panibus q̄nq3 milia hōīu3 saturauit exceptis puul' et mulierib9: s3 ad eu3 q̄ audita morte iohānis secessit in solitudinē3 nō q2 psonā dñi separemus s3 quo opa ei9 īt deū et hoiez diuissa sint oñdamus. Nauicula in medio maris iactabat fluctibus. Recte q̄si inuiti et retractātes a dño apl'i recesserant: ne illo abscente naufragia sustineret.

Infra octauas visitationis non fit de alio festo: nisi de octaua apostolorū die quo cadit et fit quotidie commēmoratio de apostolis. In sanctorum martirum processi et martiniani. oratio.

Deus qui nos sctōru3 tuoru3 processi et m̄tiniani cōfessionibus gloriosis circūdas et protegis. da nobis et imitatione proficere et intercessione gaudere. Per.

¶ Lectio prima.

Tempore quo simō magnus crepuit

me li⁹ ipsissim⁹ nero tradi-
dit beatissimos apostolos
xp̄i petrum ꝛ paulum pau-
lino uiro clarissimo magi-
sterie potestatis. Eodē aūt
tempore paulinus mācipa
uit eos in custodia mamor
tini. ꝛ uenientes ad eos mlͭ
ti xp̄iani infirmi ꝛ curaban
tur ab infirmitatibus suis:
atqꝫ alij a demonib⁹ obses-
si liberabātur per oratiōes
apostolorum.

Erant autē custodien
tes eos̄ beatissimos
apostolos multi milites: īt
quos erant duo magistera
ni mello principis ꝓcessus
ꝛ martinianus. Hi cuꝫ ui-
derent mirabilia que facie-
bāt per beatos apostolos
suos dn̄s iesus christus mi
rari ceperunt dicentes. uiri
uenerabiles: nostis q̄ꝛ hic i
perator nero iam in obliui
one recessit a personis ur̄is
Ecce enim nouem menses
sunt q̄ i custodia estis. Ro-
gamus itaqꝫ uos ut ambu
letis quo uolueritis ꝛ tan-
tum nos in eius nomine in
quo nos cognouimus face
re uirtutes magnas batiza
te.

Tunc dixerūt ei beatis-
simi apl'i petr⁹ ꝛ pau
lus. Uos credite ex omī cor
de ꝛ mente uestra in nomi
ne sancte trinitatis: ꝛ uos
ipsi potestis facere que nos
facere cognouistis. Hoc au
dientes omnes qui in cu-
stodia erant clamauerunt
unanimiter dicentes Date
nobis aquam quia siti peri
clitamus.

Eadem autem hora
beatissimus petrus ꝛ
paulus in ipsa custodia ma
mortini dum esset dixit ad
oēs. Credite in deū patrem
omnipotentem. ꝛ in domi-
num iesum christum filium
eius unigenitum: ꝛ in spiri-
tum sanctum ꝛ omnia mi-
nistrabuntur uobis. Eadeꝫ

autem hora miserũt se oẽs prostrati ad pedes apl'orũ rogantes ut baptismuz ab eis reciperent.

Et uero beatissimi apostoli orauerũt ĩ ipa custodia. cũqz orassẽt illico b'ẽs petrus apl's fecit signũ crucis in monte tarpeio in custodia mamortini Eadẽ hora emanauerũt aque de mõte. Tunc baptizati sunt beati processus ⁊ martinianus magisterani mello principis a beato petro apl'o. Hoc cum uidissent cuncti qui in custodia erant ꝓstrauerũt se ad pedes beati petri apostoli. Et baptizati sunt ꝑmiscui sex⁹ numero. xlvij.

Tunc obtulit presbyteris sacrifitium laudis ⁊ participati sunt oẽs corpore ⁊ sanguine dñi nostri iesu xp̄i. Tunc uidentes beatus processus ⁊ martinianus magisterani mello principis dixerũt ad scõs apl'os christi petrum ⁊ paulum: ꝑgite quo desideratis: qz exoblitus nero desperauit de uobis.

Exeuntes aũt de custodia sancti apl'i petr⁹ ⁊ paulus: uenerunt per uiã que appia nuncupatur: ⁊ ceperunt peruenire usqz ad portam appiam. Tunc beatissimus petrus apostolus dum tibiam demolitaz haberet de compede ferri cecidit ei fasciola ad septẽsolia in uia noua. Eodem tẽpoꝛ uenit iuxta portam appiaz ⁊ uidit dominuz iesuz xp̄m quez recognoscens dixit ei petrus. Domine quo ꝑgis Et dominus romaz redeo iterum crucifigi. Tu autem redi romam.

Et redijt petrus romaz. Cumqz rediret mane. ecce magisteraĩ milites tenuerunt eum. Eodez quoqz tempore nuntiatum est paulino uiro clarissimo

magistro offitij: eo q̄ processus τ martinianus magistriani milites effecti fuissent christiani. Et misit milites τ tenuit eos τ iussit in custodia retrudi.

Alia autez die precepit eos sibi presentari. q̄ cum adducti fuissent ante ɔspectum paulini. Uiri clarissimi: dixit eis paulinus. Sic stulti facti estis: ut deserentes deos τ deas quos inuictissimi principes colunt τ antiquitas nostra adorat sequentes uana in audatia uestra persistatis. Respōdit martinianus clara uoce: et dixit. Nos modo cepimus habere sacramenta militie celestis.

Presta quesumus oīpotens deus: ut qui gloriosos martires fortes in sua confessione cognouimus pios apud te in nostra intercessione sentiamus.

Rome sanctorum septem fratrum filiorū sancte felicitatis. i. ianuarij felicis: philippi siluani: alexandri: uitalis: τ marcialis sub prefecto publio tempore antonini principis. Primum auditi: deinde per uarios iudices: ut uarijs supplitijs laniarentur missi. E quibus ianuarius post uerbera uirgarum τ carcerum a plumbatis occisus est. Felix τ philipp⁹ fustibus mactati. Siluanus precipitio interemptus est. Alexander uitalis τ martialis capitali sententia sunt puniti.

Magnum spectaculum positum est ante oculos fidei nostre auditu audiuimus: corde uidimus ɔptantē matrē an̄ se istā uitā finire filios suos lōge ɔtrarijs uotis ɔsuetudini hūane

Omnes enim hoīes filios suos ex hac uita migrando precedere uolunt nō sequi Illa autem optauit posteriᵒr mori.

Non enim amittebat filios suos: sꝫ premittebat: nec intuebatur tāqꝫ uitam finirent: sed tāqꝫ inchoarent. Desinebant eni uiuere ut quādoqꝫ fuerant morituri: ꝛ incipiebant uiuere sine fine uicturi. Parum est fuisse spectatricem: mirati sumus potius ortatricem: Fecundior uirtutibus q̄ꝫ fetibus: uidens certantes in quibus oībus uincentibus etiam ipsa uincebat.

Una mulier uera mater quo nobis ante oculos posuit unam matrē sanctam ecclesiaꝫ ubiqꝫ exortantē filios suos ꝑ illius noīe mori de quo eos ꝯcepit ꝛ peperit. Sic sanguine martiruꝫ impletus ē orbis preiactis seibᵘˢ seges eccl'ie pululauit. Uñ hoc hoī: nisi qꝛ salᵘˢ iustoꝝ a dño: ꝛ ꝓtector eoꝝ ī tp̄e tribulatōis.

Uidimᵘˢ nouimᵘˢ ꝓtectorem fuisse dñꝫ ī tp̄e tribulatiōis triū uiroꝝ illorū qui deambulabāt inter ignes inoxios: ꝛ deū sine ulla lesione laudabāt: ubi hō ꝛ flāma pcebat. Uidimᵘˢ nouimᵘˢ quē a dñōꝫ salus eoꝝ iustoruꝫ a dño fuerit: ut in ignē mitterēt nec urerētur. ꝛ illū asperū regē queꝫ loquēdo irritauerant uidēdo conuerterent.

Credidit quippe ī eorum deum ꝛ proposuit edictum ut quicunque blasfemarent deū sydrach: misach ꝛ abdenago in interitu n irent: ꝛ domus eorum in dispersionem. Qui discipulis iussio secūda primē iussioni. Qualis pria iussio. Pereat qui statuam auream non adorauerit.

Qualis secūda : peat qui
deuz uerum blasfemauerit

Fideles hoīes
nō mutati īfidelē o-
mino mutauerunt . illum
stare ī perfidia nō permise
rūt. quia ipsi in fide stete-
runt . Salus ergo eorum
a domino manifesta fuit.
qñādo illi nō ardebāt et de
um laudabāt . Aderat do⁹
qñ isti ardebant. Confite-
bantur et nō moriebantur
ubi erat dominus. An for
te illi iusti erant isti pecca-
tores :

Audiuim⁹ enim istos
cum paulo anteq̄ꝫ e
orum passio legeretur et
confiteri peccata sua : et di
cere quoniam illa omnia ī
irascente sibi domino : sed
paterne legis merito pate
rentur . Quid autem illi :
Legite et uidebitis etiam
ipsos peccata propria et ꝯ
fiteri : et dicere se merito p
peti . Equaliter iusti ⁊ cō-
fessores peccatorūꝫ . Ideo
irreprehensibiles : quia nō
mendaces

Si enim dixerimus a
it iohānes quia pec-
catum non habemus : nos
metipsos seducimus et ue-
ritas in nobis non est . Si
autem cōfessi fuerim⁹ pec
cata nostra fidelis ē ⁊ iust⁹
qui dimittat nobis pecca-
ta . ⁊ mundet nos ab omni
iniquitate. Ad iustos ergo
pertinet confessio peccato-
rum. Ad supbos pertinet
confessio meritorum parit
ergo isti peccata ꝯfitentes
pariter deo gloriam dan-
tes . Pariter pro eius legi-
bus moriuntur

Pius natione italus
ex patre rufino fra-
ter pastoris de ciuitate aq̄-
legia sedit annos . xi . meses
quattuor dies xxi . fuit aūt
temporbus antonini a con
sulatu clari et seueri . Sub

huius epātu hermes librū scripsit in quo mandatum continetur: qd precepit angl's dñi cum uenit ad eum in habitu pastoris. ⁊ p̄cepit ei ut s. pasca die dominico celebraretur.

Presta qs ut sic nos scōꝝ martirū tuorū naboris ⁊ felicis natalicia celebranda non deserit: ita iugiter suffragijs commitetur. Per.

Anacletus natione grecus de athenis ex patre anthiocho sedit annos. ix. mēses. ii. dies x.. Fuit aūt temporibꝰ domiciani a consulatu domiciani decimi ⁊ sabini usqꝫ ad domicianum decimū septimum ⁊ clemente consules. Hic memoriaꝫ beati petri cōposuit ⁊ ostruxit. Dum pbr̄ fcs fuisset a btō petro fecit alia loca ubi epi recō derentur sepulture. Ibi aūt ⁊ ipse sepultus est iux cor pus bti petri. iij. idꝰ iulij.

Presta qs deus ut beata margarita martir tua nos orōnibꝰ suis ap te cōmendet ⁊ incessabilꝰ contra aduersarias ptātes defendat. Per.

Apud tyburtinā ciuitatē italie natale scē synforiose bti getuli martiris uxoris cum septē filijs crescente: iuliano: nemesio primitino: iustino. stacteo: eugenio. Cum quibꝰ simul passa ē sub adriāo principe Qui ipsam synforiosaꝫ iussit palmis cedi: deinde suspendi crinibus. Sed cum superari nullatenus posset iussit eam alligato saxo in fluuium precipitari.

Cuius frater eugeniꝰ curie principalis tyburtine colligēs corpus eiꝰ sepelliuit. Mane aūt facto

iussit imperator. vij. figi sti pites: ibiqꝫ filij eius ad tro cleas extendi: ⁊ crescenteꝫ ĩ gutture trāsfigi. Julianuꝫ ĩ pectore. Nemesium in cor de. Primitinum per umbli cum. Justinum per mēbra distensum scindi per sigl'os corporis nodos atqꝫ iūctu ras.

Et Lacteum lanceis in numerabilibꝫ donec moreretur in terra configi Eugenium scindi a pectoꝛ usqꝫ ad inferiores ptes. Al tera autem die adrianus p̄ cepit corpora simul aufer- ri ⁊ proici in foueaꝫ altam Et posueꝛt pontifices san- ctorum sacrorum nomen loci ipsius ad. vij. bythana tos. Natale uero sanctorū martirum. v. x. kl'. augusti Quorum corpora requie- scunt uia tyburtina milia- rio nono.

Rome sācte praxedis uirginis. Hec cum sorore sua beata potentia- na uel pudentiana a sanctis simo patre pudente: qui fu it edoctus in fide ab apl'o paulo. in omni castitate et lege diuia erudita: post trā situm parentis uigilijs ora tionibus atqꝫ ieiunijs assi- due uacans omne patrimo nium suum simul cum pre dicta sorore ĩ sustētatiōeꝫ pauperum ⁊ xp̄i sanctoruꝫ errogauit. In titulo v̄o quē pater earum pudens nomi ne beati pastoris dedicauit una cum consilio beati pij sedis apostolice episcopi fō tem baptismatis cōstruere soror ⁊ ipa studuit ut fami lia earum die sancto pasce baptizaretur.

Confitebor tibi dn̄e rex ⁊ collaudabo te dū saluatorē meū: ꝯfitebor nōi tuo. qm̄ adiuctor ⁊ ꝓte ctor f̄cs es m̄ ⁊ liberasti cor pꝰ meū a ꝑditiōe. Nardi

¶ Diffusa est grã ¶ Pro
pterea ¶ In diebus
illis mulier q̃ erat in ciuita
te peccatrix ut cognouit qꝫ
iesus accubuit in domo si-
monis leprosi attulit alaba
strũ unguẽtũ ⁊ stãs retro se
cꝰ pedes dñi iesu lacrimis
cep rigare pedes eius ⁊ ca-
pillis capitis sui tergebat ⁊
osculabatur pedes eius : et
unguento ungebat.
Beate marie magda
lene q̃s dñe suffragi-
is adiuuemur. cuius pcibꝰ
exoratus quatriduanũ frẽ
uiuũ ab inferis resuscitasti.
Qui uiuis.
Laudemꝰ deũ nřm in ꝯuer-
sione marie magdalene
Uenite. ¶ Nardi maria
¶ O q̃ꝫ pulchra est
casta generatio cũ claritate
¶ Leua eiꝰ
sub capite meo ⁊ dextera
illius amplexabitur me
Reuertere reuertere suna-
mitis. reuertẽ ut intueamur
te. ¶ Spetie tua ⁊ pulchri
tudine tua.
Euangelium
Cũ legeret attẽtissime
audistis ⁊ res gesta narra-
ta atꝫ uersata est añ oculos
cordis uři. Uidistis eni nõ
carne sed mẽte dñm iesum
xpm in domo pharisei re-
cumbentẽ ⁊ ab illo inuitatũ
non fastidientẽ. ¶ Maria
magdalene ⁊ altera maria
ibant diluculo ad monumẽ
tũ. iesum quẽ queritis nõ
est hic. surrexit sicut locutꝰ
est precedet uos in galileã
ibi eũ uidebitis al'a. ¶ Et
ualde mane una sabbatoꝝ ueni
unt ad monumentum orto
iam sole. ⁊ introeuntes uide
runt iuuenẽ sedentẽ in dex
tris: qui dixit illis: Jesũ.
Uidistis etiaꝫ mulierẽ
in ciuitate formosaꝫ
male utiqꝫ fame. eo qꝫ erat
peccatrix non inuitataꝫ ir-
ruisse conuiuio: ubi suꝰ me
dicus recumbebat. ⁊ q̃sisse

pia impudẽtia sanitatẽ: irruens quasi importuna ꝯuiuio: oportuna benefitio: Nouerat eniꝫ q̃to morbo laboraret: ⁊ illum ad sanãdum idoneũ esse ad quem uenerat sciebat. ¶ Cõgratulamini m̃ omnes q̃ diligitis dñꝫ: qꝛ queꝫ querebã apparuit m̃: ⁊ duꝫ flerẽ ad monumentuꝫ uidi domiuꝫ meũ al'. ¶ Recedẽtibus discipul' nõ recedebã: ⁊ amoris eius igne succensa ardebã desiderio. Et.

Accessit ergo non ad caput dñi: sꝫ ad pedes. Et que diu male ambulauerat uestigia recta querebat. prius fudit lachrymas cordis ⁊ lauit pedes dñi obsequio confessionis. Capillis suis tersit. osculabat'. unxit. tacita loquebatur. Non ꝑmonem promebat: sꝫ deuotionem ostẽdebat. ¶ Tulerũt dñm meũ: ⁊ nescio ubi posuerũt euꝫ: dicũt ei angeli. mulier quid ploras. surrexit sicut dixit. precedet uos in galileã ibi eũ uidebitis al'ia al'a. ¶ Duꝫ ergo fleret inclinauit se ⁊ prospexit i monumẽtuꝫ: ⁊ uidit duos angelos in albis sedentes qui dicunt ei. Prece.

Quia ergo tetigit dñꝫ rigando: osculando: tergendo: ungendo pedes eius: phariseus qui inuitauerat dñm iesuꝫ xp̃m. quia ex illo generẽ erat hominũ superboꝝ: de quibꝫ ysaias prophã dixit. qui dicũt recede a me noli me tãgere: quoniã mũdus suꝫ: putauit dñm nescisse mulierẽ. Diffusa est.

Regnum mundi.

Hoc apud se cogitãs dicebat in corde suo Hic si essꝫ propheta sciret que mulier illi accessit ad

pedes. Ideo nesciā credidit quia ille non repulit: quia accedentem non prohibuit quia tangi se a peccatrice permisit. Nam illā nescisse unde sciebat.

Quid eniz sciebat. O pharisee inuitator et irrior dñi. dñm pascis: et a quo pascendus sis non intelligis. unde scis dñm nescisse que fuerit illa mulier nisi quia premissa est accedere: nisi quia illo patiente osculata ē pedes eius: nisi quia tersit: nisi quia unxit. Hec enī nō debuit pmitti facere in pedibus mundis mulier immūda.

In illo tempore rogabat iesum quidaz phariseus ut māducaret cū illo. Et ingressus domum pharisei discubuit. Et. R.

Cogitāti m̄ de marie pñia fle magis libet q̄s aliq̄d dicē. Cuius eī ut saxeū pectus: ille huius peccatricis lachryme ad exemplū penitendi non emolliēt. Considerauit nāq3 qd fecit et uoluit moderari qd fecerat: sup cōuiuātes ingressa ē nō iussa uenit: inter epulas lachrymas obtulit.

Discite quo dolore ardet que flere et inter epulas nō erubescit. Hanc uero quā lucas peccatricē mulierē. iohēs mariā noīat De qua marchus septē demonia eiecta fuisse testatur Et qd p septē demoniā: nisi uniuersa uicia designant Quia enim septez diebus omne tempus comprehenditur recte septēnario numero uniuersitas designat.

¶ Regnum mundi et oēm ornatum seculi ōtempsi pp amorem dñi mei iesu xpi. quē uidi: qē amaui: in quē credidi: quē dilexi. ¶ Eructauit cor meū uerbum bonū. dico ego opa mea regi

Quez uidi. ¶ Glõa sit deo patri et filio et spũi sancto. Quem uidi.

Septez ergo demõia maria habuit: q̃ uniuersis uicijs plena fuit. Sz ecce qz turpitudis sue maculas lauãdo ad fõtẽ misericordie cucurit. cõuiuãtes nõ erubuit. Nã qz se met ipãz grauiter erubescebat intus nihil esse credidit: qd uerecondaretur foris. Quid miramur fratres: mariã uenientez ante dñm suscipiẽtez Suscipientez dicam an trahentez et suscipiẽtẽ: sz meli⁹ trahẽtẽ et suscipiẽtẽ. Quia nimirũ ipse eam per misericordiam traxit intus: qui per mãsuetudinem suscepit foris.

Dum esset rex in accubitu suo. nardus mea dedit odorem suauitatis. ¶ Dominus regnauit. ¶ In odorem unguentoꝝ tuorũ currimus adulescentule dilexerunt te nimis. ¶ Jam hyems transit imber abijt et recessit. surge amica mea et ueni. ¶ Ueni electa mea et ponaz in te thronũ meũ all'a. ¶ Ista est speciosa inter filias ierusalẽ ¶ Cõfitebor tibi domine. ¶ Elegit eaz ¶ In tabernaculo.

Maria ergo unxit pedes iesu et extersit capillis suis et domus repleta est ex odore unguenti ¶ Beate marie magdalene. ¶ Cõfitebor tibi domine.

Liberasti me secundũ multitudinem misericordie nominis tui a rugientibus preparatis ad escam de manibus querentium animam meam et de multis tribulationibz que circunderunt me.

Laudabit usz ad mortez aĩa mea dñz quoniam eruis sustinentes te et liberas eos de manu angustie

domine deus noster.
¶ Dũ esset rex.
¶ Cõfitebor tibi dñe. ¶ Nardi maria pis. ¶ Elegit eã ds. ¶ In tabernaculo ¶ Mulier que erat in ciuitate peccatrix attulit alabastrũ unguẽti: ⁊ stans retro sec⁹ pedes dñi lachrymis cep̄ rigare pedes eius: ⁊ capillis capitis sui tergebat.

Deus fideliũ remunerator aiaꝝ qꝗ hunc diẽ bti apolinaris sacerdot tui martirio cõsecrasti. tribue nobis qs̄ famulis tuis ut cui⁹ uenerãdã celebram⁹ festiuitatẽ p̄cibꝫ ei⁹ indulgẽtiã ꝯsequamur. Per.

Apud italiã in tyro q̄ ẽ circa lacũ uulsinuꝫ natale scẽ xp̄ine ṽgis: que in iesũ credẽs deos aureos urbani p̄ris sui perfecti cõfregit ⁊ paupib⁹ distribuit Ob hoc iubẽte p̄re alapis afflicta: uerberibus dilaniata: ferro onusta in carcere coniecta est. Post hec cum diutissime dilaniaretur de carnibus suis patri in faciẽ proiecit.

Cumqꝫ alligata rote igne supposito ⁊ fuso desuper oleo terreretur erumpens flãma mille gentilium interfecit. Iteruꝫ carceri tradita angelo uisitãte sanata est ⁊ refecta. Deide cum magno saxi pondere ĩ mare. i. in lacum uulsinum iactata angelico presidio liberata est. Quam successor patris eius dyon m̃ltis iterum supplicijs afflixit.

Sed orante illa simulacrum apolis quod adorare iubebatur ĩ fauillam subito reddatũ est Quo miraculo tria milia hominum ad fidem christi conuersi sunt. Nouissime successor predicti iulianus

post fornacem candentem ubi quinq; diebus illesa permansit: post serpentes a uenefico immissos: sed xpi in fide superatos: post abscilione lingue sagittis eam configi precepit: sicq; cursum gloriosi martirij consumauit.

Esto dñe plebi tue sanctificator et custos ut apostoli tui iacobi munita presidijs: et conuersatione tibi placeat et secura mente deseruiat. Per. Gaudete et exultate

Accessit ad iesum mr̃ filiorum zebedei: hoc est salome. cuius ap alterũ euuãgelistã ponitur nomẽ uere pacifica. que filios genuit pacis: non solum autem ex marcho euuãgelista. quod manifeste ipsos fratres exponit accessisse ad iesum. et hec eadem postulasse intelligere possumus: quoniam a filijs erat submissa. sed etiam ex presentibus xpi sermonibus quibus nõ quasi ad mulierem ipsam se petente: sed quasi ad filios submittentes respondit nescitis quid petatis.

Existimo enim quod hij fratres cum audissent dñm de passione sua prophetantem: ceperunt dicere intra se cum essent fideles. Ecce rex celestis descendit ad regna tartarea ut regem quidem mortis destruat. ipsam autem morte diuinitatis sue potentia calcet: et sic uinculo tenebrarum soluto captiuas animas ad sua regna reducat.

Nec innumerabilis multitudo demonũ resistere poterit contra eũ. in quem enim in corpore constitutum fremuerit dicentes. Quid nobis et tibi iesu filij dauid: filij dei excelsi. Uenisti ante tempus torquere nos. Quomodo nudam ipsam diuinitatem contra se descẽdentẽ poterit

sustinere. Excep⁹ tres dies mortis sue reuertetur ab inferis quasi uictor de bello. Nam cum uictoria fuerit consumata: quid aliud restat nisi ut regni gloria subsequatur.

Ergo qd faciem⁹ fres quo possumus regni illius esse pticipes. Scim⁹ quia inuidus non est. q eiz se ipm donauit hoib⁹: quomo regni sui societatē non donabit. Petentis negligētia reprehendere ubi de dātis misicordia nō dubitat. Si nos rogam⁹ magistruz forsitam ceteroꝝ frm corda cōcutiem⁹: ꝛ dū nobis duob⁹ pvidē uolum⁹ it oēs scādalū excitamus.

Naz ꝛ si oēs scī sunt: tn̄ hoīes sūt: ꝛ si uici a carne nō possunt q̄si iaz spūales. tn̄ percuti possunt q̄si adhuc carnales. Ut qd ergo mouere uel leues occasiones debemus quibus iproba carnis natura tranquillas animas inquietet. Submittamus ergo inrez nostram: ꝛ in suo nomine deprecetur pro nobis. Et sunt duo bona.

Si eiz res ipa rephēsibilis inuenta fuerit facile meretur ueniaz mrē. Ipse eiz sexus excusat errorez. Si aūt nō fuerit importuna facil⁹ impetrabit mat pro filijs suis rogans. Ipe eniz dn̄s: q maternos aīos filiorū misatiōe repleuit facilius exaudiet maternuz affectuz. Magna laus mulieris ex hoc loco colligit. Primum q2 non solum illi reliquerant prez: sed etiam ipa reliquerat uirū suū ꝛ secuta fuerat xpm.

Et ostēderūt q2 filij erant huius matris. ꝛ ipa ostendit quia mater erat talium filiorum. quoniaz aūt uiuuz reliq̄rat uirꝫ sermo demonstrat. qui de

uocatione eorum scriptus est dicēs. Illi autē reliquerunt p̄rez suuz zebedeuz in mari cū marmarijs: ⁊ secuti sunt iesuz: nisi forte quis dicat. q2 xp̄s plus q̄3 triennīū docuit ⁊ intra tempus uocationis aplo2 ⁊ passionis xp̄i mortuus ē zebedeꝰ ⁊ sic secuta est xp̄m. tamen secuta est.

QUalis radix talia et germīa: ⁊ qual' terra talis ⁊ fructꝰ: non ea3 uicit sicut ceteras mulieres maritalis affectus: q2 ille temporalis erat maritus: iste autem perfectus sponsus. Illius amor deceptioꝰ erat carnalis: istius autem dilectio incorruptibil' uite. nō illam tenuit miseratio senectutis eius. q̄a ille sine ista uiuē poterat. ista sine xp̄o salua esse non poterat.

COgitauit enim quoniam amplius prob rit uiro suo si propter deuz reliq̄ rit uirum: q̄3 si propter uirum reliquerit deuz. Propterea sexus fragilis etiaz etate defecta christi uestigia sequebatur: quia fides nunq̄3 senescit: ⁊ religio fatigationem non sentit. Ita ergo non sentit illa sicut cetere mulieres: que corpus natorum suorum amant: animam autem contēpnūt desiderant enim illos ualē in seculo isto: ⁊ curant qui sint passuri in alio.

IN litia ciuitate samō natale sancti christofori martiris. qui uirgis ferreis attritus īcendij christi uirtute saluatur ad ultimū sagittarum ictibus confossus: martirium capitis obtruncatione compleuit.

DEus qui beate anne tātā gratiam cōferre

dignatus es: ut mariā matrem tuaꝫ in utero suo portaret meruerit. Da nobis per intercessionem matris ꝛ filie tue propitiationis habundantiam: ut quaruꝫ ꝑ amore ꝯmemorationeꝫ cōplectimur eorum precibus ad celestem ierusalem peruenire ualeamus: Qui ui.

Nicomedie passio sancti panthaleonis qui cuꝫ iubente maximiano artem disceret medicine a p̄sbitero ermelao ad fidem christi conuersus multa miracula fecit. patrem suum senatorem eustorgium xp̄i fidei subiugauit. Ob quaꝫ causam tentus ab eodem maximiano eculei pena: et lampadaruꝫ exustione cruciatus est. sed inter hec domino apparente sibi refrigeratus tādem ictu gladij martiriū ꝯsumauit.

Sanctoꝝ mīꝝ tuorū nos dn̄e nazarij celsi uictoris ꝛ innocētij ꝯfessio btā ꝯmuniat: ꝛ fragilitatis nr̄e subsidiū dignāt exoret Per.

Nazari⁹ genit⁹ a patre noīe affricāo. mr̄e ꝟo eius ꝑpetua ciue romana bapti ꝫat⁹ p man⁹ lini successoris bt̄i petri romā egressus: et p placētiā ꝛ mediolanū trā siens in ciuitate gallie noīe cimellū cū p̄dicaret nomen xp̄i ꝛ baptm̄ pn̄ie filiū cui⁹ dā mulieris q̄ erat pria ciuitatis noīe celsū a mr̄e oblatū baptiꝫauit: ꝛ ī fide pleni⁹ īstruxit.

Deīde treuerī ꝯueniēs cū nom̄ xp̄i publice p̄dicaret: neroni ꝺ eo p corneliuꝫ q̄ illi ciuitati p̄erat significatū ē. qui misso dētone milite suo nazarium ꝛ celsum sibi precipiens presentari iussit eos: ligatis manibus

⁊ pedibus in maris profū
dum precipitari dicēs nau
tis. Tollite hunc in nauē
uestram ⁊ ligatis manibꝰ
⁊ pedibus mittite eum in
mare.

Accipiat eū ꝓfunduꝫ
maris: ⁊ demergat
eum fluctus baratri. Et si
saluus eiectus fuerit in lo-
cum quempiam: incendite
eum igni. ⁊ cinerem eius in
mare mittite: ne resurgens
adhuc nobis maiora dāna
faciat: ⁊ renuntiate mihi ⁊
dabo uobis bona mundi
huius: ⁊ honorabo uos: et
eritis gloriosi in dijs.

Et eleuantes naute
beatum nazarium in
nauim: nauigauerunt. bea-
tus autem nazarius grati-
as agēs deo texit facie suā
⁊ pueri ⁊ obdormierunt.
Naute uero proiecerūt eos
in mare: et nubes mox su-
scepit eos. Et factum ē cir
ca nauim totuꝫ mare tene

brosum. Angelus autem
domini descendit ad naza-
rium ⁊ ostendit ei festinan-
tum domini in mari.

Et excitauit deus spi
ritum stridentem ex
inferioribus abyssi. ⁊ facta
est tempestas magna circa
nauem. ⁊ timuerunt naute
dicentes. peccauimus corā
dō nazarij: ideoqꝫ perimus
Nauigantes uero stadia fe
re quinquaginta cum iam
demergerentur: uiderūt na-
zarium supra mare ambu-
lantē cuꝫ puero: ⁊ exclama
uerūt naute una uoce dicētes
Sctē uir dei salua nos ꝑ dū
q̄ te saluauit: ⁊ credimꝰ tibi
⁊ a ducemꝰ nauē in quēcūqꝫ
portū uolueris.

Respondēs āt scūs na-
zariꝰ dixit eis. creditis qꝛ dꝰ
meꝰ pōt liberarē uos. ⁊ dixe-
rūt naute. Nos quoqꝫ excla
mamꝰ uoce magna inuocā-
tes dū tuū. ⁊ credimꝰ qꝛ p̄t
ipē dꝰ tuus liberarē nos: ⁊

ascendēs beatus nazarius in nauem dixit eis. Custodite uos a doctrinis demoniorum neronis. Tunc cathetizati in fide christi nauigare ceperunt. Et factū est mare pacificum. ⁊ iter agētes uenerūt ad rippaꝫ: ⁊ deposuerūt sanctuꝫ nazariuꝫ in loco quodā procul a ianuensi urbe passus fere sexcentos. ubi per ipsius merita oratiōes ⁊ uota soluūtur.

